

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 735 04 08

IAPONIA IN BELGIO

EUROPALIA 89

●●●●●●●●
日本

EUROPALIA: hoc neologismo Latino (dicendum esset EUROPAEA sive EUROPENSIA) coevi nostri nuncupare statuerunt manifestationes festivas quae altero quoque anno praecipue Bruxellis habentur ad cultum civilem artesque cuiusdam regionis celebrandas.

Adhuc tantum Europaeae regiones productae erant. Hoc anno 1989 primum agitur de regione extranea quin etiam longinquissima, cum sit Iaponia. Multae sunt expositiones diversis in locis institutae, non solum Bruxellis sed etiam in nonnullis urbibus Belgicis et Lugduni Batavorum in Nederlandia, quibus omnes aspectus Iaponiae et antiqui et recentiores exhibentur. De nonnullis referam, praesertim de eis quae pertinent ad primas consuetudines inter Europaeos et Iapones iunctas.


Praestantissima expositio habetur Bruxellis in Palatio Bellarum Artium; eius titulus est «**De homine et eius imagine**» (10 Rue Royale, 27 Sept.-26 Nov., 10-18 h., Merc. d. 10-22 h.). Omnes res quae ibi exponuntur, curante Fundatione Iaponica, allatae sunt ex museis Iaponiae. Eodem tempore ac in insula Creta florebat cultus civilis Minoensis, id est inter hanc partem aetatis neolithicae Iaponicae, quae «JOMON medium» vocatur (3000-2000 a.Chr.n.), primum apparent in Iaponia figurae humanae in vasis fictilibus, quorum nonnulla exponuntur.

Homines qui insulas Iaponicas incolunt videntur gradatim immigravisse ex vicino continente. Erant agricolae qui oryzae culturam irrigatam noverant.

Eodem fere tempore, quo Alexander Magnus cultum civilem Hellenicum usque ad fluvium Indum produxit, incohabatur in Iaponia aetas aenea, quae circiter usque ad finem tertii saeculi p.Chr.n. viguit. Pauca aenea utensilia exponuntur: clocca et duo specula. Nihil dicam de imaginibus ad sequentia tempora pertinentia cum iam non sint rarae.

III saeculo p.Chr.n., iam vergente imperio Romano, incohat aetas ferrea in Iaponia. Tunc bellicosiores incolae ex multis stirpibus orti

UNDAE LATINAE



*Undae Latinae nunc emittuntur e
Finnia! Legite p. 10*

agricolas domant atque ab eo tempore fiunt Iaponiae hereditarii optimates. Aemulatio facta est inter diversas optimatum stirpes, quarum singulae suum quaeque agrum domabant. Stirps, quae domabat valem fertilem fluvii Yamato, media in insula Honshu, praevaluit. Quae gens autumabat se ex dea Solis, cui nomen Iaponicum Amaterasu, ortam esse atque inter maiores numerare primum Iaponiae imperatorem, nomine JIMMU, cuius regnum anno 660 a.Chr.n. incohatum esse narrabatur; sed haec tantum sunt mythi fabulaeque. Inde factum est ut dea Solis, Amaterasu, praevaleret inter numina naturalia, quae celebrant Iapones; quae religio originalis Iaponum, polytheista atque animista, vocatur SHINTO.

Gens praecellens vallis Yamato consecuta est ut suus princeps fieret Iaponiae pontifex maximus, cui munus esset hereditarium. Postea idem princeps consecratus est Iaponiae imperator. A quo tempore ad nostra tempora omnes Iaponiae imperatores ab hac gente generati sunt. Quo tamen non significatur eos semper imperium tenuisse. Aliae enim optimatum stirpes eis invidebant. Stirps Soga prima matrimonii se insinuavit in aulam vallis Yamato, ubi eius potentia celeriter crevit. Tunc voluit extendere territorium, cui imperator vectigalia imponeret, sed obstabant ceterae stirpes, quarum ius in tradita religione Shinto nitebatur.

Hac de causa stirps Soga religioni Buddhisticae favit, quae iam florebat in Sinis et in Corea. Quam religionem in Iaponiam inducendo volebant tum Shintoismum debilitare cum potestatem ceterarum gentium deminuere. Earum vero multae tanto sacrilegio valde stomachatae bellum stirpi Soga indixerunt. Anno 581 victoria stirpis Soga finem fecit belli civilis. Tunc victores, Buddhistae facti, Iaponiam ad similitudinem Sinarum transformare voluerunt. Notandum est ineunte V saeculo Iapones systema ideographicum Sinense ad scribendum sibi iam assumpsisse.

Anno 604 imperatoris heres, princeps Shotoku, iuvenis excultus necnon fervens Buddhista, edictum promulgavit quo Iaponiae imperator, Sinarum imperatoris instar, solus totam Iaponiam regeret, salvus tamen optimatum praecipuis iuribus. Legatio extraordinaria in Sinas missa est, ubi omnes figuras cultus civilis edisceret. Duobus insequentibus saeculis, Iaponia gradatim mutata est ad imaginem imperii Sinensis.

Quod non interruptum est cum anno 645 stirps Soga ex aula imperatoris expulsa esset a stirpe Fugiwara, quae per quinque saecula rerum habenas tenuit pro imperatore.

Anno 710 condita est urbs caput Nara, prima sedes stabilis aulae imperatoris. Tunc temporis multo stabillior factus est cultus civilis Iaponicus. Litterae artesque floruerunt. Anno 712 prima historia Iaponiae (Iaponice «*kojiki*») conscripta est. Aulae elegantia etiam crevit cum anno 794 urbs Heian (hodie Kyoto) caput regni facta est. Anno 1020 in lucem editus est liber cui titulus «*Genji fabula*», qui inter totius orbis terrarum egregia opera numeratur;

EUROPALIA 89



auctor est mulier c.n. Shibiku Murasaki.

Paulatim tamen elegantia aulae magno fuit detrimento. Aulici molliores fiebant, mores corrumpebantur. Auctoritas regiminis ubique minuebatur. Cum optimates diversarum gentium in suis quisque agris iam non sedebant sed vitam luxuriose degebant in aula impera-

toris, eorum curatores, homines rudiores, agros revera administrabant, iuvantibus propriis bellatoribus; qui, Iaponice «*bushi*» vocati (postea «*samourai*»), tantum suo quisque curatori obsequiebantur et minimi faciebant longinquos optimates.

Anno 1156, cum duae adversae aulicorum factiones de imperatoris herede eligendo convenire non potuissent, una factio auxilium petivit a gente Minamoto, quae maxima latifundia administrabat in orientali parte insulae Honshu. Tum altera factio sibi advocavit gentem Taira, quae agros administrabat in occidentali insulae parte. Inde factum est ut amborum partium bellatores in ipsa urbe capite Kyoto decertarent. Fuit magna clades: bellatores irruerunt in palatia, passim trucidantes pavidos aulicos atque sagittis perfodientes eorum feminas, quae ex oecis incensis territae fugiebant. Perfecta strage, victrix erat gens Taira, cuius dux Kiyomori statim factus est et imperatoris compos et totius Iaponiae vir potentissimus. Qui tamen nihil mutavit in regimine sed eodem modo ac occisi optimates in aula molliter vixit. Quod faciendo displicuit his bellatoribus, qui eum ad fastigium potestatis promoverant.

Sic factum est ut victa gens Minamoto, ducente Yorimoto, sibi alliceret deceptos bellatores, atque atrox bellum domesticum per quinque annos gereret in gentem Taira. Qui imprimis urbem caput Kyoto relinquere debuerunt et postea devicti sunt proelio navali in Mari Interno prope oppidum Shimonoseki (1185). Yorimoto victor regni habenas tenebat, sed noluit se mollitiae deliciisque imperatoris aulae dedere. Ut omnibus pateret se liberum ab aula esse, praetorium (Iaponice «*bakufu*») atque sedem sui regiminis in parvo vico litorali c.n. Kamakura collocavit, non longe ab hodierna urbe Tokyo.

Novum regimen, quod Yorimoto tunc creavit, per septem saecula vixit; effecit ut ipse et eius successores ab imperatore appellarentur «*shogun*», id est dictator. Imperator insignia imperii servabat atque manebat pontifex maximus, sed dictator («*shogun*») verum imperium gerebat. Sic toti Iaponiae imposita est dictatura militaris, quae omnes vitae actiones regebat.

Qua mutatione crevit patriae caritas necnon disciplina militaris, id quod Iaponiae perutile fuit cum insequenti saeculo ei imminerent magna pericula. Nam vagae nationes Asiae centralis, q.n. Mongoli, ducente Genghis Khano, XII et XIII saeculo multos populos in dicionem suam redegerant atque immensum territorium regebant. Sinas ipsas subegerant, ubi Genghis Khani nepos Kublai Khanus aulam suam habebat, cum anno 1268 Iaponiae tributum imperavit. Negaverunt Iapones, quibus tamen non ignota erat fama bellicosa Mongolorum. Creberrimae exercitui Mongolorum Iapones opposituri erant suos seve-


ros honoris mores, quos vocant «bushido» et qui praecipue nituntur in infinita fide erga ducem necnon in summa mortis contemptione.

Mense Novembri anni 1274 XXV milia militum Coreanorum Mongolorumque in Iaponiam exposita sunt. Per totum diem proelium fuit acerrimum. Sub vespere, cum vincere non potuissent atque immineret procella, Mongoli se in naves iterum contulerunt atque Iaponiam reliquerunt. Tantam belli offensionem diu tolerare non poterat Magnus Mongolorum Khanus. Post nonnullos annos legatos misit ad Iaponiae imperatorem, qui ei imperarent ut Pekinum veniret ad fidelitatem sibi iurandam. Praefecti Iapones, qui legatos in oppido Kamakura acceperant, eos fastidiose detruncaverunt. Inde factum est ut Mongoli a mense Iunio anni 1281 duabus classibus centum quinquaginta milia militum in Iaponiam transportarent. Iam quinquaginta dies vehementer pugnatum erat, cum terribilis procella Mongolorum naves destruxit, ita ut, animo fracto, multi deditionem facerent cum ceteri trucidarentur. Hanc procellam, quae eis tanto auxilio fuerat, Iapones vocaverunt «ventum divinum» (Iaponice «kamikaze»). Hac magna victoria multum aucta est auctoritas ordinis bellatorum. Qui tamen talia praemia non consecuti sunt qualia se meritos esse existimabant. Inde gradatim tantum minuta est potentia dictatoris ut medio XV saeculo fieret vera anarchia. Iaponia dividebatur in complures centenos agros solutos, quibus singulis praeerat dominus, Iaponice vocatus «daimio». Qui in castello vivebat atque bellatores «samurai» sustentabat sibi soli fideles.

Tales erant vitae condiciones cum Lusitani, primi Europaeorum, in Iaponiam appulerunt; sed haec est alla historia de qua tractatur in expositione, cui titulus «Ars Namban», quae habetur Bruxellis in Museo Quinquagenarii (diei anniversarii regni Belgici conditi).

(sequetur in proximo fasciculo)

Gatus LICOPPE





INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES ARITUNEUS MIZUNO

Ubi et quando natus est?

In Iaponiae propriae urbe "Ōita", quae urbs, mediae magnitudinis, regia praefecturae, sita est intra Iaponiae fines meridionales, in ea insula cui nomen est "Kyushu", ego natus sum a.d. IX Kalendas Novembres A.D. MCMXXVIII (= die 24, m. Oct., a. 1928). Praeterea, praeterquam quod ad Ludos Latinos Augustanos anno MCMLXXXV iter feci in Europam, numquam ex Iaponia propria exii.

Ubi et quando studia secundaria fecisti?

Anno 1941 factus sum discipulus "Scholae Secundariae Ōitanae", quae schola secundaria tum iam diu excellentissima erat in Praefectura Ōitana; eiusdemque Scholae cursus anno 1945 ego omnes omnino finivi. Simulque admissus sum in "Quintum Lyceum" discipulus, quod tamen, cum nihil utriusque linguae classicae ibi daretur discendum, equidem fuisse appellandum arbitror "Quintum Pseudo-Lyceum".

Quando primum aliquid percepisti de lingua Latina?

Ut proprie dicam, aliquid de lingua Latina tum percepi, cum in A.D. MCMIL ego studens in Universitate Kiotensi acroasin sive orationem annuam Professoris Saburoi TAKADA de grammatica Latina auscultaveram - namque in anno iam proximo Sancti Augustini CONFSSIONES, quod opus sacerrimum perpulchrumque idem Professor ad studentes exercendos usurpabat, ego studens sine tanta difficultate semper satis poteram intellegere. Praeterea tamen maioris esse momenti mihi quidem, qui tunc temporis tiro eram Graecitatis, hoc usque adhuc videtur, ut eodem anno Platonis Phaedonem, quem dialogum Graece scriptum Professor Michitarous TANAKA nos studentes sua in exercitatione annua docebat, ego solus (quam fortunatus fui!), si quid Graecitatis intellectu difficiliter esse sentiebam, totiens coactus sim, hanc rem quamvis aliquatenus esse paradoxam forsitan putes, nullo alio libro nisi Marsilii Ficini versione Latina eiusdem dialogi semper, semper inquam, quam maximo cum solacio adiutus perlegere. Ficinus Latinus effecit ut possem Phaedonem perlegere. Alii vero studentes nonnulli, quod his ipsis valde erat fortunatum, potuerunt usui habere Anglici Professoris Iohannis Burnet in eundem dialogum commentarium Anglice scriptum, clarissimum convenientemque librum explanatorium, qui liber his studentibus permagnum praebebat auxilium. Hunc tamen librum ego neque reperire neque emere potui. Nil ergo mihi esse potuit auxiliare nisi Ficini versio Latina Phaedonis Platonici. Haec autem ipsa infortunitas me ante omnia fecit in Latine legendo sodalibus meis omnibus multo sollertiolem. Cum ad multos et bonos

homines tum ad me praeclare faciunt post Bellum Mundanum res adversae. Haec hercule mihi, et quidem mihi soli, vera et prima fuit facultas Latinitatis vere amandae.

Quando tibi venit amor linguae Latinae?

Amor Latinitatis, cum semel in corde, ut supra diximus, incensus est, magis magisque in dies mihi dabat superbire meâ ipsius potentiâ Latine legendi. Primum vero ego, studens philosophiae iuvenis, Graecorum philosophiae, libentissime legebam eos libros Latine scriptos qui pertinent ad Graecorum philosophiam. Qualibus ex libris hic tantummodo duobus titulos velim denotare:

- Frider. Adolph. Trendelenburg: Commentarii in Aristotelis De Anima Libros Tres. - Berolini mense Martio anni MDCCCLXXVII.

- D. Holwerda: Commentatio de vocis quae est ΦΥΣΙΣ vi atque usu praesertim in Graecitate Aristotele anteriore. - Groningae a. 1955. Quod adtinet ad hanc Holwerdae commentationem, Professor Michitarous TANAKA mihi imperavit ut eiusdem commentationis existimationem scriberem, quam idem magister meus in «Journal of Classical Studies (in Japan)» divulgaret, et re vera divulgavit - fuit praeter me aut antea aut postea nemo in Iaponia quem libri Latini conscripti existimationem idem Professor scribere iuberet.

Praeterea multis post annis, circiter anno MCMLXXV, ego pulcherrimam accuratissimamque versionem Iaponicam Platonicae Epinomidis (scisne quam difficile sit intellectu hoc opus?) divulgare potui. Ego enim, iam Latinissimus factus, tum eram dignus quem satis adiuveret Professoris Francisci Novotný liber, qui inscribitur «Platonis Epinomis Commentariis Illustrata (Pragae 1960, in Aedibus Academiae Scientiarum Bohemoslovenicae)». Huius libri, Latine conscripti, utendi potentiam Iapon nec tum habebat nec habet ullus.

Tum temporis amor Latinitatis me tandem aliquando incitabat ad opera Latina classica ipsa legenda, Caesariana Ciceroniana Sallustiana Catulliana Horatiana et alia multa. Quos libros, quantos potui, sponte mea diligentissime iam tum perlegeram. Quin etiam hos libros classicos et alios multos universitarios in seminario studentes iuvenes universitarios universitariasque, in Universitate Kiotensi, Osakensi, Otaniana, cottidie fere ipse iam pridem docebam magister publicus, necnon in Universitate Otaniana anno MCMLXXVIII factus sum Professor Ordinarius philologiae classicae, praesertim philologiae Latinae.

Quis te docuit linguam Latinam?

De professore Saburoo TAKADA iam supra dixi pauca. Is autem me docuit nihil supra. Professor

Michitarous TANAKA vero, sicut etiam de eo supra scripsi, me libros Latine conscriptos legere ac de eisdem varia scribere iussit quidem, sed de Latinitate ipsa vix quicquam et me et sodales docuit meos. Num me vel mentiri vel iocari credis? Se vero nil nisi rudimenta sive elementa discipulos docere velle, supra tamen ea, quantum daret indoles sive ingenium, tantum quemque discipulorum amanter, amanter inquam, discere posse magistri mei videntur credidisse. Accedit quod, ut verissimum dicam, ego his ipsis temporibus de Latinitate iam multo accuratius sciebam quam magistri mei, illi colendissimi amandissimique magistri.

Hi duo si quidem supra non fuerunt mihi magistri, quosnam mihi esse dicis addendos magistros? - ut generatim de Iaponicis omnium fere artium magistris summis maximisque, qui ultra humanum modum superemineant, dicam, optimus quisque semper fuit *αὐτοδίδακτος*, licet sequatur ut iusto plures remaneant inferiores. Utique ego quoque de professoribus meis, quod valde dolendum est, plura addere, dummodo ne mentiar, non possum. Nam in terra est nemo qui me plura vere docuit.

Qualia studia universitaria fecisti?

Imprimis philosophiam Graecorum antiquam sive historiam philosophiae Occidentalis duce Professore Michitaroo TANAKA studens indagavi, quamquam Phaenomenologiam quoque Husserlianam didici. Instanterque addam oportet quod, ut in Universitate Kiotensi hoc cursu finito Academicum gradum suscipere possimus, rudimenta utriusque linguae (Latinae scilicet Graecaeque) absolute planeque sciverimus omnino oportet. Et ego interim, cum sollertissimum Latinitate me iam esse Professor Michitarous TANAKA approbasset, anno MCMLXVI in Universitate Kiotensi Docens Latinitatis, qui docerem quaque in hebdomade quaternas per horas, creatus sum (ego autem sponte mea duodenas per horas solebam docere). Quam institutionem tredecim per annos sine intermissione feci diligentissime, atque ita docendo didici permulta. Acroasis mea sive oratio non tantum pertinebat ad Latinitatis elementa, verum etiam ad Caesarem Ciceronem Sallustium Vergilium Horatium aliosque nonnullos legendos; necnon et Latine scribere docui tam orationem solutam quam hexametros elegiasque.

Est nullus in Iaponia Latinitatis magister neque ante me nec post me qui tam multa docuerit tam efficaciter. Omnes fere Universitates plenissimae fuerunt meae talis fama, ut optimus essem Latinitatis magister in Iaponia.

Quibus muneribus universitariis functus es?

Ipsa quia Latine docendo ac mea ipsius studia faciendo usque adhuc negotiosissimus sum, quodnam munerum talium fungendorum spatium mihi reliquum esse poterat? Semper, quantum potui, me procul a muneribus universitariis tenere conabar. Libros legere, discipulos docere - id demum, neque quicquam aliud, meum esse intellegere paulatim coeperunt in Universitate Otaniana alii professores, quorum pro tali benevolentia maximas eisdem semper ago gratias. Omnes iam nunc etiam hoc intellegere videntur, ut terrestria omnia despiciam poeta,

caelestia atque, ubi opus est, etiam Tartarea quaedam mihi sint poetae semper curae. Sic igitur poetando tantum permagno fungor munere Universitati meae. Attamen ego iam diu sodales meos in Universitate quam saepissime benevolus soleo adiuvere illorum negotiis, ubi mole negotiorum opprimuntur, ultro faciendis in illorum loco.

Quando coepisti carmina Latina pangere? Ubi inveniri possunt tua carmina?

Anno iam MCMLXXI, factum erat ut, quamquam haud sollerter, versificare possem. Tum ipsum conventus academicus in Universitate Tokiensi est habitus, in quo de linguae utriusque classicae educatione universitaria ageretur a tribus doctis Iaponibus, inter quos numeratus sum. Ego igitur primus in historia Iaponica magnam necessitudinem versificationis Latinae docendae enarravi ardentem, atque simul hexametros versus quosdam (in summa sedecim versus) praesentibus classicistis monstravi simul xerographice multiplicatos simul a memet ipso recitatos. Idemque versus anno proximo in illo periodico, c.t. est «Journal of Classical Studies (in Japan)», divulgati sunt. Hoc ipsum erat principium carminum a memet ipso panctorum Latinorum.

Ubinam sint vero carmina mea, nondum accurate certeque dicere possum. Ea, sicut scis ipse, et in «Voce Latina» et in «Melissa» et in «M.A.S.» et in «Herma Americano» hic illic reperiri possunt. Accedit meus libellus novus qui inscribitur «Aeneidos Liber Primus Emen-datus». Etiam accedunt duo Collectanea carmina mea quae sunt puerilia. Mihi ergo nunc in animo est ex his omnibus, praesertim ex lyricis, mellora carmina quaedam collecta in unico libello poetico edere denuo. Qua de causa, cum meum esse satis cognoverim pecuniam necessariam cuidam futuro editori statim libenter persolvere, utinam doctus aliquis eam editionem pro me faciat!

Qui sunt auctores antiqui quos mavis?

Primum ante omnes Horatium, deinde vero mihi secundo gradu Nasonem propter ingenium malo equidem quam Catullum atque Maronem. Quam rem, si mea scripta varia legeris, non sine difficultate potueris intellegere. Sed tamen haud parvum est hoc problema. Si ergo vitae spatio brevi id facere mihi licebit, ipse meam Latine scribere velim historiam carminum antiquorum, quomodo ea alia post alia adoleverint.

Quomodo novisti Europaeos qui Latinitatem vivam colunt?

Ut Europaeos qui Latinitatem vivam colunt cognoscerem, factum est primum «Voce Latina» legenda inde abhinc fasciculum 70 et paulo anteriores, quos amicus quidam mihi miserat.

Quomodo factum est ut anno 1985 iter faceres in Europam et Ludos Augustanos participares?

Me anno MCMLXXXIV (ineunte mense Septembri) Professor Dr Valahfridus STROH suis libris nonnullis epistulisque mihi mittendis in eos Ludos invitavit. Cfr Vocis Latinae fasciculi 77 pp. 340 sq.

Tuo sensu, exstantne carmina potius ut audiantur, an

ut legantur?

Tantummodo manibus haberi, tantummodo spectari, tantummodo silentio legi - haec omnia sane possunt carmina. Sed haec mea quidem sententia nondum *ἐνεργεῖα* carmina, sed *δυνάμει* carmina, sicut cultellus chirurgicus, cum non in sectione usui est, tum non est cultellus sed nil nisi ferrum quoddam, quamquam quemdam in morem pulchre candideque fabricatum. Item et odae et orationes solutae quae sunt artificiosae, dum intelleguntur tantummodo oculis legendo, nondum ex toto, nondum ex omni parteprehenduntur, necdum hominibus legentibus totae eae ipsae apparent, necdum omni ratione eo munere funguntur ad quod sunt exortae. Prorsus tales tum non sunt odae, non orationes.

Accedit quod, ut de me ipso dicam, ego tantummodo vocibus canendo versificare possum, silentio vero nihil versuum possum componere. Homerus Pindarus Anacreon re vera et cantasse et cantati esse traduntur; Horatius vero ab haud paucis doctis interpretatoribus posteris aestimatur sua carmina scripsisse quae nisi silentio non legerentur. Ita interpretentur, ita censeant qui volunt. Ego vero carmina Horatiana nisi voce canens non possum scribere. Etiam Aeneis silentio legentibus num sese totam ostendat? Ἐπος, verbum, si non pronuntiatur, num dici verbum aut epos posse arbitraris?

Attamen ego garriam non necesse videtur. Nam Iohannes (Jean) Soubiran ipse in initio ("INTRODUCTION" p. 7) sui libri, qui «L'élision dans la poésie latine (Klincksieck 1966)» inscribitur, quem librum iam diu cupio quidem legere quem tamen in Iaponia emere usque non potui quemque librum Iapon quidam in Europa pro me emptum ad me secum nuperrime portavit, scribit haec: "... car les rencontres vocaliques constituent un des problèmes majeurs de la poésie, en quelque langue qu'elle s'exprime. En latin ce sont des dizaines, peut-être des centaines de milliers d'élisions qui sont accumulées dans les oeuvres en vers, de Livius Andronicus à Rutilius Namatianus. Aucun accident prosodique n'est plus banal. Si l'on se résigne à ignorer la nature véritable de celui-ci, comment prétendre jamais saisir la beauté formelle des grands poèmes, ou simplement se représenter la diction d'un hexamètre ou d'un sénaire, de vers concus pour être récités et entendus, non pour être lus dans une solitude silencieuse?..." Sic igitur nos ambo, ego et Dominus Soubiran, id quod mihi magno est gaudio, rem eandem gravissimam esse momenti unanimis dicimus, quamquam nos alter alterum scopum persequi videmur.

Cur tibi in mentem venit Aeneidem emendare? (cfr librum a Professore Mizuno recenter conscriptum: A. MIZUNO, P. Vergili Maronis Aeneidos liber primus emendatus, Kioto 1988)

Quod me interrogas, id clarissime meo in libello (praesertim p. 3) iam scripsi. Ut paucis dicam, mihi iam intolerabile factum est Aeneida, quae inde antiquitus traditur, quam omnes homines habent leguntque, immutatam legere. Aeneis nisi emendetur, totus orbis terrarum noster Latinus mihi videbatur periturus.

*
* *

POESIS LATINA



SAPPHICI MATUTINI

Nocte qui hesterna cubui, futuri
nescius solis dubiusque vitae,
rursus ardentis novitatem amoris
ecce saluto,

gratias orto repetens nitoti,
gratias altas avibus rosisque,
omnibusque undis iterum canoris,
et tibi, terra,

terra adhuc pulcher calidusque nidus,
terra quae caelo loqueris loquenti
musica cuius resonant in omni
pectore notae.

O beatae horae penitus fruendae,
tam sacrae et suaves! Animante luce
diligant omnes homines, perennes
ante tenebras.

Iosephus TUSIANI
Neo-Eboracensis



FLUMINIS OSTIUM

Curre tranquille ad mare, molle flumen,
inde dic nobis moriente vena
de nova vita rigidis sub undis
omne sciendum.

Ad maris mysteria mille curre
et viro metas aperi verenti:
cras idem maesto mihi iter supremum
est faciendum.

Iosephus TUSIANI
Neo-Eboracensis



DE AENEIDE EMENDATA (?)

(A. MIZUNO, AENEIDOS LIBER PRIMUS EMENDATUS, KIOTI 1988)

Theodicus Sacré Gaio Licoppe S.D.P. Interroganti tibi de Aeneide ab Arituneo nostro emendata quid sentirem, ac petenti ut paucis allatis exemplis illustrarem quem ad modum Aeneidos liber primus immutatus esset vel emendatus, rem totam, morem ut tibi gererem, perstringere mihi visum est leviter, cum eadem de re alias egissem atque invitante Caeleste fusius essem acturus. Inauditum ergo suscepit laborem doctissimus ille poeta, ut Vergili carmen heroicum levius redderet atque levius. Nam multos vidimus, qui Mantuani versus imperfectos supplerint, alia in metra transtulerint, centones ex ipsis composuerint. Haec tamen illi more scholastico, ut poetae summi summa agitando poemata sese arte poetica exercerent; hic vero, Arituneum dico, Aeneida tam hirsutam re metrica tamque horridam existimat, ut recitare vix possit. Quam ob rem, ut est vir ingenio singularis, rei metricae medendum esse autumavit. Nasoturiens (ut ita dicam) duplicem adhibuit medellam; nam et elisionum numerum minuit dicam an ad nihilum redegit? Et verbis cognominatis insertis, vocabulis transpositis, levioribus id genus mutationibus propositis, effecit ut pedes spondiaci eique asperiores quantum fieri potuit devitarentur. En tibi Aeneidos exordium (si modo exordium vere dicitur) a Mizuno emendatum:

•Arma virumque cano, Phrygiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
litora, quique nimis terra iactatus et alto
vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
multaque passus erat bello, dum conderet urbem
inferretque deos Latio; genus unde Latinum
Albanique patres, altae quoque moenia Romae. •

Vides, mi Gai, quantilla sint mutata; •Troiae enim dactylice factum est •Phrygiae•, •multum ille et terris• •quique nimis terra•, ne lingua elisione haereret... At, ut vere fatear, displicet mihi illud •nimis• pro •multum•, displicet plusquamperfectum •passus erat•, valde displicet hic: •Albanique patres, altae quoque moenia Romae• pro •Albanique patres atque altae moenia Romae•: nam si primam Aeneidos periodum quartumque singulorum versuum pedem respexeris, animadvertes accentum prosalem et accentum metricum vv. 1-6 competere, v. autem 7 inter se discrepare; quod mea quidem sententia a poeta consulto est admissum, quo aptius atque gravius rotundaretur sententia. Illud ergo immutare Iaponi nostro non licuit. Sunt et aliae emendationes parum elegan-

tes, velut •prima quod ad Troiam, coleret quo, gesserat, Argos• (v. 24) pro •prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis•; nam hirsutum, si quicquam aliud, •coleret quo, gesserat, Argos• certo est. Ubi autem de ventis violentis agebatur, nonne a Vergilio multo significantius scriptus est hic: •qua data porta ruunt et terras turbine perflant•, quam, quem proposuit Mizuno: •qua data porta ruunt atque omnia turbine perflant•? Quantopere doleam quod in locum divini huius versus •Olli subridens hominum sator atque deorum• successit hic: •Huic hominum sator et divum subrisit, Olympum•, non opus est disseram. Possum exempla multiplicare, possum vitia enumerare; quod facere supersedeo ut finem faciam epistolae tibi que scribam quare huiusmodi experimentum mihi quodam modo displiceat. Arituneus ergo, cum omnes hexametros ad eandem fere normam ita redegit, ut dactyli nimium praevalerent, elisiones vitarentur, evasit Ovidio Ovidianior; molles item et quasi enerves versiculos, atque interdum fastidiosos, admisit, Vergilio nativum nonnumquam dempsit robur. Accedit quod a falsis profectus principis (tam metricis quam poeticis) in heroicos descendit antiquis interdum vix comparandos. Denique censeo critico et poetae non idem esse officium, quod ille primigenium constituere textum conatur, hic quae ipse mavult versibus includit; atque alterutram provinciam non ita bene seiunxit ab altera noster. Minus mihi equidem displiceret opusculum, si inscriptum esset •Aeneidos liber primus stilo Ovidiano redditus•; nunc vero, qui •emendatus• dicitur, non video quomodo rei neolatinae non sit nociturus. Nam optime scis, mi Gai, quam parvus fuerit verborum thesaurus Racinianus; itaque, si quis verbosiores ipsum reddere voluerit, nova verba substituerit, Racineum emendatum in lucem ediderit, quo eum animo accipies?

Haec habui quae hac de re paucis ad te scriberem. Tu vero scis quanti faciam Aritunei versus eos, quos suo Marte pangit, etiamsi nonnumquam perfidificiles sunt ad intellegendum. Quoniam autem poeta ipse non ignorat suos ipsius versus a me probari, Vergilianum carminis emendationem minus mihi arripere, non recuso quin epistolium hoc, quodcumque est, lucem videat publicam.

Cura ut optime valeas!

D. Lovanio XIII Cal. Nov. A. 1989.

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

IN FRANCOGALLOS AB AUSTRIACIS E BELGIO EXPULSOS CARMEN ANNO 1793 SCRIPTUM



Symbola hac hoc anno oblata, carmen quoddam ut rarissimum ita ignotum MELISSAE legentibus proponere statui, ne Francogallicae seditionis memoriae deessem communi. Versus hos, quos denuo sum divulgaturus, nuperrime inventi in libro quodam miscelaneo, in quo erant carmina fere XL posteriore saeculi XVIII parte ad occasiones pacta Nederlandice Gallice Latine, et is adservatione Antverpiae in bibliotheca a Ruusbroec nuncupata¹. Quo in libro carmen locum obtinet XXXV; quod cum absque poetae nomine, sine titulo, nullo apposito anno, nulla vel typographi vel urbis mentione facta, esset editum, inopportune accidit ut bibliothecarius aliquis bifolium, quo versus continebantur, habuerit pro ultima proxime praecedentis libelli (anno 1790 Nederlandice editi²) particula neque carmen separatim in scidulas referendum curarit; quare ne ipsis quidem possidentibus innotuere «famosi» ei versus. Ceterum perpauca exempla typis exscripta exstare opinor, ut quorum mentio omissa sit a Monglondio³ viro rerum illarum peritissimo.

Hactenus fuit quod de libellulo invento ac perperam descripto a me scribi posset. Annum vero, ad quem hexametri sunt referendi, exacte admodum definire licet nobis. Primum enim legimus Gallos ab Austriacos fugatos (vv. 1-2) Belgarum fines relinquere (v. 19); itaque dicitur victoria illa celeberrima, qua milites Austriaci et Germani (a.d. XXV Kal. Apr. a. 1793) Francogallos in vico Neerwinden Thenis⁴ proximo devicerunt. Accedit quod Carolus magnus dux (1771-1847), Francisci I imperatoris (1768-1835) frater, Leopoldi imperatoris (+ Kal. Mart. a. 1792) filius, Belgicae videtur iam esse praefectus (vv. 84-85): atqui munus illud iniiit a.d. IX Kal. Mai. a. 1793. Versus igitur et mea quidem sententia exeunte mense Aprili vel mense Maio anno 1793 exarati sunt atque editi. Confirmatur autem haec opinio aliis rebus nonnullis, quarum facta est mentio. Intellegitur enim e versibus 13-18 Francogalorum regem esse mortuum; Ludovicus autem rex nomine XVI anno 1793 a.d. XII Kal. Feb. Guillotiniano supplicio est traditus; Maria vero Antonilla regina in carcerem nondum coniecta, nedum machinae Guillotinianaе supposita, videtur esse; itaque versus ei, si non ante mensem Augustum anni 1793 ineuntem, ante medium certe Octobrem eiusdem anni sunt divulgati. Postremo memoratur Coburgus, i.e. Fridericus Iosias Saxoniae et Coburgi princeps (1737-1815), qui Gallos Neerwindae vicit, ab isdem anno 1794 Fler⁵ est victus - qua clade accepta Belgae annos fere XX Gallorum in dicionem concessere.

Restat ut quis poematit fuerit auctor investigemus. Qua in re haesitat mens. Complures equidem novi poetas qui ea aetate floruerint, nullum vero cui

carmen satis probabiliter attribuam. Qui enim hoc publici iuris fecit poematum Vergilio diligenter studuit; testantur verborum iuncturae «lamentabile regnum» (v. 15), «amor sceleratus habendi» (v. 63), versus «infandum... renovare dolorem» (v. 56), «quis talia fando / temperet a lacrimis?» (vv. 58-59), alti. At quotus erat quisque versificator Latinus arte Marontiana rudis? Erunt qui Gandavensem fuisse poetam coniciant (vv. 37-40, v. 62: agitur de foedere iniquo Gandavi pacto mense Decembri anno 1792, quo Galli sese non victores, sed amicos sociosque populi Belgici proclamarunt): quod aliquam habet veri similitudinem. Versus tamen non scripsit Norbertus Aegidius Cornelissen, quippe qui annos 1792-1794 Romae degeret, neque Camberlinus «principum poeta», qui ante annum 1815 nihil in lucem edidisse videatur... Malim equidem praeclaro obscurum poetam, urbicola ruricolam; atque ob id ipsum alicui parochio adscripserim opusculum Libertati Aequalitatisque Francogalorum inimicum⁶. Nam, quoties sermo in populum incidit, mirum est ut uni agricolae («coloni») memorentur (vv. 45-49; cfr v. 59: «et me carosque colonos»; clerici a Gallis ecclesiarum praedatoribus maxime abhoruisse constat); libellum idem non adsignarim poetae exercitissimo, quod (praeter optimos nonnullos) versus aliquot tinnire mihi videntur (vv. 40, 55, 67, 23); quorum ille 43^{us}, quamvis sit mendosus («decessit, erupit, evasit»), hanc tamen habet excusationem, quod poetae menti videntur haesisse Tullii verba quaedam in oratione contra Catilinam ad populum habita priore pravis enuntiata sonis⁷.

Gallica gens abiit, LIBERTAS impia cessat,
Austriacus pestem hanc felici Marte subegit.
Macte animo miles, nostris de finibus omnes
fures, sacrilegos praedatoresque repelle.
Aeternas referet FRANCISCO Belgica grates, 5
regia BORBONIDUM stirps et devincta manebit.
I gens infelix, gens detestabilis orbi,
quae patriam nostram scelerato Marte lacescis.
Tangere Belgarum si temptes limina rursum,
armati occurrent: Deus ultor, Caesaris arma, 10
bracchia Belgarum, tot religionis avitae
cultores profugi cives proceresque ducesque,
et mortem regis deflentes vindice dextra -
mortem heu crudelem, quam totus mundus abhorret-
tum quoque milleni, quos lamentabile regnum 15
continet in gremio regi Deoque fideles,
plectere vos miseros generoso Marte parati.
Nam sanguis regis vindictam clamat et urget.
Maturate viam gentique hoc dicite vestrae:

•Sat sanguis fusus satque horrida crimina. Galle 20
 impie, si sapis, nunc tandem numen adora,
 ne tibi deterius contingat, et arma relinque,
 reginam vestram venerare et regia proles
 Borbonidum sceptrum teneat, vel Gallia rursum
 sanguinis et luctus fiet ferale theatrum.» 25
 Interea Augusto FRANCISCO applaudite, Belgae:
 deliciae populi, pater et tutela suorum
 FRANCISCUS vivat Belgas in amore gubernans.
 Vincula Belgarum Germano sanguine solvit
 Caesar; sic vera nos LIBERTATE beavit. 30
 Gallica LIBERTAS, pocul hinc effrena feroxque,
 impia, crudelis, monstrum, sentina malorum.
 AEQUALES omnes delirans Gallia dedit
 unitosque sibi Belgas, sed fraude dolisque:
 Austriacis aquilis sunt iuncti corde leones 35
 unanimesque omnes te poscunt, optime Caesar.
 Iam non extortos, sed gratos exstruit ignes
 GANDA triumphales te tanto Caesare dignos,
 et post tot gemitus, post tot lamenta suorum
 decantans DOMINO et FRANCISCO dulciter hymnos.
 Nunc laeti, agricolae, laeti complaudite, cives, 41
 plaudite, Belgiadae, quamvis mala plura tulistis:
 gens inimica Deo decessit, erupit, evasit.
 Non magis immeritos cives aut oppida nostra
 torquebit Gallus, miseros nostrosque colonos 45
 dire vexabit, non horrida crimina plura
 committent fures, praedones, hisce diebus
 ut vidi et pars ipse fui, quot passa coloni
 damna in decessu; Deus, heu, lamenta meorum
 exhorresco fremens tacita dum mente revolvo, 50
 et durum nimis est propriam narrare ruinam.
 Omnia quid dicam? Regnat crudelis ubique
 luctus, ubique pavor mortisque apparet imago:
 altera non fuerat facies, quando ignibus arsit
 ILION et summo cecidit dum a culmine TROIA. 55
 Infandum mea Musa vetat renovare dolorem.
 Hoc solum dicam, Gallum si noscere vultis.
 Ensibus atque armis strictis (quis talia fando
 temperet a lacrimis?) et me carosque colonos
 indomiti invadunt, aedesque atque ostia frangunt, 60
 furantur quodcumque placet rapiuntque latrones.
 Haecine barbaries decreta est foedere iniquo,
 Gallica vel rabies, vel amor sceleratus habendi?
 Desperatarum tantarum in turbine rerum
 ah quoties dixi tristis pressusque timore: 65
 «Austriaci properate duces cum milite forti!»
 En, CAROLUS princeps ferro iam assuetus et igni,
 Germani heroes veniunt fortisque COBURGUS:
 et fugiunt, currunt hostes, sed more ferarum.
 Tum post tot gemitus, post tot tantosque dolores 70
 incepti laetos ad sidera tollere vultus.
 Exsultate ergo, festivos ducite plausus,
 dicite concordem, sed grati dicite, Belgae:
 «Quod nobis restat miseris sumus usque parati
 offerre Augusto, fortunam et bracchia nostra.» 75
 Haec quoque vota damus, LEOPOLDI CAROLE proles:
 grande rudimentum teneris spectamus ab annis,
 in te tantus inest fraterni nexus amoris
 Caesaris Augusti fratris, per mille pericla
 ut caput obicias medios animosus in hostes. 80
 Iam bello clarus memor et virtutis avitae
 ducito centenos cum Caesare fratre triumphos,
 Austriacos imitare duces proavosque potentes.
 Iamque gubernator, Belgis carissime princeps,

vive diu incolumis populoque in amoribus esto. 85
 Et vestra, HEROES GERMANI, Martia virtus
 aeternum fastis Belgarum inscripta manebit.

*
 * *

Adnotatiunculae:

1. Antwerpen, *Bibliotheek van het Ruusbroecgenootschap*, 4109/A 8.
2. «Verwelckom Wensch, vueriglyk toegeeygend... aen zijne excellentie den generael-velde-tuyg-meester Van der Meersch...» (1790).
3. A. Monglond, *La France révolutionnaire et impériale. Annales de bibliographie méthodique (I-X, Gratianopoli, 1930² = Genavae, 1976 - Genavae, 1978), tom. II: 1791-1793 (Gratianopoli, 1931² = Genavae, 1976).*
4. Gallice *Tirlemont*, Nederlandice *Tienen*.
5. Vulgo *Fleurus*.
6. Cfr H. Wiegand, «Solventur vincula populi. Aufklärung und Französische Revolution im Spiegel der neulateinischen Dichtung», *Der Altsprachliche Unterricht*, 32 (1989), num. 4, 59-87.
7. Cic. *Cat.* II, 1: «Abiit, excessit, evasit, erupit.»

*
 * *

APPENDIX

*Hac oblata occasione denuo vulgamus carmen quoddam eodem fere (ni fallimur) anno in lucem editum et Lovanii servatum in bibliotheca universitaria («A 6409»). Est autem haec elegeia typis excusa Petri Corbeels typographi atque editoris Gallis infestissimi, qui anno 1789 paulove post Lovanii officinam instituit, anno 1796 Turnholtum fugit (cfr E. Van Autenboer, «Corbeels, Peter», in *Nationaal Biografisch Woordenboek*, 8 (Bruxellis, 1979), coll. 189-192).*

Ad iuventutem Belgicam sociosque presbyteros cum ultro in hostem utrique irent.

Ite, pili iuvenes, Belgii lectissima pubes,
 ite alacres quo vos bellicus ardor agit.
 Arma resurgentis, caelo gratissima, Belgii
 et patriae fertis vincere docta suae.
 Ite, Deo freti, patriae de finibus hostem
 pellite: pugna brevis, palma perennis erit.
 Ite una, o digni morum fideique magistril!
 Nobilior vobis laudis arena patet.
 Vos iuvenum stimulate animos, vos fingite mores:
 stet iurata fides, crimine castra vacent.
 Postgeniti dicent patriae immortale tropaeum
 hos posuisse suae, vos posuisse Deo.

*
 * *

LOVANII, TYPIS P. CORBEELS.

Theodoricus SACRE Belga

EUROPA LATINE

RADIOPHONIA LATINA EX FINNIA

Modo mirus nuntius ex Finnia nobis allatus est: Redactio Scientifica et Culturalis Radiophoniae Finnicae Generalis nuntios Latinos emittit semel septimanatim per primum rete radiophonicum. Id fit Veneris die hora Finnica octava et dimidia antemeridiana. Redactores, qui textum Latinum nuntiorum praeparant et legunt, sunt Thomas Pekkanen et Gregorius Pitkäranta vicissim. Emissiones incohatae sunt ineunte mense Septembri. Post primas quattuor emissiones administratores Radiophoniae rem tam benigne acceperunt, ut constituerent ut emissiones Latinae posthac per undas breves ex Finnia in totum orbem diffunderentur (dies horasque emissionum indicamus sub fine huius symbolae).

Quis praevidere potuisset, Finnicis undis primis sermonem Latinum hodiernum vectum iri? Vehementer gratulemur oportet sodalibus nostris Professoribus Thomae Pekkanen et Gregorio Pitkäranta, qui

hoc adepti sunt, quod nullus adhuc in ceteris Europae regionibus adipisci valuit.

Amici nostri Finni petunt ut quam plurimi sodales Latini undique administratores Radiophoniae Finnicae litteris adhortentur ut in hoc incepto laudabili pergant. Efficacissimum, ut monet Prof. Thomas Pekkanen, erit epistulas ipsi directori praesidenti totius Radiophoniae mittere: qui est Sakari KIURU (Suomen Yleisradio, Kesäkatu 2, SF-00260 HELSINKI). Ad eum tamen potius scribatis vestra lingua vernacula.

Optandum etiam est ut Latinitatis fautores hunc nuntium privatim et publice quam latissime divulgent; sic fortasse, Finnorum exemplo commotae, aliarum regionum stationes radiophonicae eiusdem generis emissiones paulatim instituent.

Hoc est votum meum...

Gatus LICOPPE

Emissiones Latinae Radiophoniae Finnicae [omnes horae indicantur secundum rationem c.n. UTC, i.e. hora ipsa vici Grenvici (Greenwich)]:

Saturni die:

09.51: Asia Orientalis, Australia 15245 kHz/19m, 17800 kHz/16m

14.55: America Septentrionalis 15400 kHz/19m, 21550 kHz/13m

17.26: Europa Orientalis 9640 kHz/31m, Africa et Oriens propinquus 15185 kHz/19m, 11850 kHz/25m

22.21: Asia Orientalis 11755 kHz/25m, Europa Septentrionalis 6120 kHz/49m, 963 kHz/312m, 558 kHz/538, 254 kHz/1181m

Lunae die:

00.21: America Septentrionalis et Meridionalis 11755 kHz/25m, 9645 kHz/31m, Europa Septentrionalis 6120 kHz/49m, 963 kHz/312m, 558 kHz/538m, 254 kHz/1181m

07.51: Europa Occidentalis 11755 kHz/25m, 9560 kHz/31m, Europa Septentrionalis 6120 kHz/49m, 963 kHz/312m, 558 kHz/538m, 254 kHz/1181m

12.11: America Septentrionalis 15400 kHz/19m, 21550 kHz/13m

13.21: America Septentrionalis 15400 kHz/19m, 21550 kHz/13m

14.21: America Septentrionalis 15400 kHz/19m, 21550 kHz/13m

Omnes emissiones audiri possunt e statione Helsinkiensi Radiophoniae Finnicae: 103.7 MHz VHF.



EX ORBE LATINO

QUID PROFESTRIX BULGARA DE LATINITATE SENTIAT:

"MORTUA, TAMEN IMMORTALIS"

De linguae Latinae docendae rationibus deque eius utilitate ac voluptate saepe cogitavimus. Nunc homines plures haud necessarium, nedum lepidum hoc studium putare solent. Vetera humanitatis studia celeris et evidentis usus operis devorantur. Non est contrarium veritati, quod pauci Latinitatem navant eademque contemptu plurimum damnata est. Argumenta solita institutionis Latinae (mentem animumque exercere, fundamenta aliarum linguarum a Latina origines trahentium ponere, per legendos textus exemplaria vitae antiquae melius intelligenda dare, necnon temporis mediaevalis et renascentium litterarum, multorum terminorum technicorum explicationem praebere et cetera similia) iam plurimum non valent, primum quod obtinendae scientiae Latinae difficultas discipulos quosdam repellit, deinde, quod plerique arbitrantur non prodesse ipsis rebus in practicis Latinitatem. Sed cuius scientiae astra homines levi itinere sine asperis adipiscuntur? Scientiam difficilem quidem esse et arduam nemo doctorum negaverit.

Quod ad usum practicum Latinitatis pertinet, hic demum vim fortissimam ipsius homines viderent, si caeci ad rem corde, non oculis accipiendam non essent. Tempore nostro lingua Latina communis cottidianaque vel litteralis paene iam esse desit. Mortua plurimis est, tamen immortalis. Vivimus nova in aetate, in discrimine, cum universitatis infinitatem homo singulus spectat, cum coniunctiones in milium chiliometrorum spatio facile constituere possit, cum multa milia chiliometra ipse transire potestatem habet. Haec omnia homini se ipsum cognoscenti, locum suum in terra et societate quaerenti vitamque suam construenti omnino prosuntne? *Ὁ ἄνθρωπος μικρὸς κόσμος ἐστίν. Non cognoscens vero μικρὸν κόσμον, μέγαν* investigare et penetrare ausus est. Et in hoc parvo mundo solitudine et cogitationibus, exemplaribus verae humanitatis opus est, quae nosmet ipsos adjuvare possint ut meliores, pulchriores, humaniores flamus. Hoc in magno mundo technocratico linguae Latinae formositas nobilitasque numquam deflorescens materiem infinitam humanae emendationi et perfectioni, quod propositum proprium vitae nostrae est, praestare possit. Mathematica etenim linguarum omnium, clavis earundem, purissima forma dicendi, optima intellectualis investigationis

materies lingua Latina apparet. Legentibus textus Latine scriptos etiam varii ac differentes modi, quibus Latinitas in antiquitate, mediis aevis, tempore renascentiae et hodiernis diebus existit et operata est demonstrantur; et quomodo ad statum culturae contemporaneae Europae perventum sit homines intellegere incipiunt. Dubium non est quin lingua Latina Europaeissima sit.

Sed qualis institutio Latina esse debeat, ut discipulos bonitate sua Latinitas fovere possit? In machinarum computatarum et quorumlibet aliorum auxiliorum technicorum tempore maximi momenti aestimanda est magistri persona. Qui solus in mirifico Latinitatis orbe discipulos fascinare potestatem habet. Qui solus per semitas longas flexasque in montem humanitatis suos ducere possit «illuc, unde negant redire quemquam» - sensu tamen positivo, quia hoc in orbe fasciatus numquam eum deserere vult et totam per vitam cacumen humanitatis, ubi summa dona homini sunt reservata, petit. Omnia in magistri persona posita sunt: in elocutione et gestibus eius, in facultate eius simul et longe, et proxime a discipulis esse, in potestate eius non solum grammaticam docere, sed de vita, moribus, philosophia, artibus hominum narrare comparationesque facere et totius vitae (contemporanea quoque non excepta) explicationem dare, ut cetera sileam.

Hoc loco quaestio magna oritur qua lingua Latinitas doceatur. «Latine» statim respondeamus, quamquam in plerisque dissimilem consuetudinem videmus. Non omnes, at certus saltem numerus discipulorum electorum linguam Latinam Latine discere debet societatesque fovendae Latinitatis participare - sunt enim illae humanitatis et scientiae foci, quibus in templis magistrum sacerdotem sapientiae et urbanitatis esse oportet.

Ita unitas et amicitia nascuntur hominum, de lingua Latina eiusque significationibus cogitantium cogitationesque suas eadem lingua exprimentium. Sit lingua mortua, animum tamen vivificat.

Milena MINKOVA
Bulgara - Serdicensis

DE CONVENTU INTERNATIONALI ERFORDIAE HABITO

Conventus VII «omnium gentium ac nationum Latinis litteris linguaeque fovendis» ab Academia Romana institutus a die Lunae, 31 m. Iulii, usque ad diem 5 m. Augusti anno 1989 Erfordiae et Berolini celebratus est. Quoniam haec pars mundi numquam Romana fuerat, thema non ad Imperium Romanum pertinebat, sed ad aetatem renatarum atque renovatarum litterarum: «DE STUDIIS CLASSICIS, QUAE A PETRARCA USQUE AD MELANCHTHONEM IN MULTIS PARTIBUS EUROPAE FLORUERUNT». Quod thema urbi Erfordiae optime convenit: est enim ibi prima studiorum universitas a civibus condita, in qua celeberrimi humanistae docuerunt sicuti e.g. Melanchthon; Epistulae virorum obscurorum hac in urbe conscriptae sunt; exstat ex illo tempore bibliotheca Amploniana testis fidelis. Prof. Irmscher ipse de themate generali orationem habuit, Prof. Hoffmann Erfordiensis de lingua Latina, matre et ministra artis in medio aevo, Dr Hrandek Vindobonensis de studiis mathematicis humanisticae aetatis, Prof. Solin Finus de syllogis epigraphicis aetatis humanisticae. Aliae orationes ad studia classica humanistarum spectaverunt sicuti illa Doctricis Johne Berolinensis («Quomodo Philippus Melanchthon de Platone et Aristotele philosophis cogitaverit») vel Doctoris Dummer Berolinensis («De Philippi Melanchthon studiis patristicis») vel oratio finalis atque festiva Professoris Sallmann Mogontiacensis, cui in Auditorio Coelico cathedralis eodem loco dicere licuit, quo Martinus Luther ipse loqui solitus est; «quid Martinus Luther de litteris Romanis senserit», nobis exposuit. Longum esset, omnes 20 orationes enumerare, sed duos titulos magis paedagogicos laudare velim: «Quomodo saeculis XVI-XVII p. Chr. n. Latine loqui didicerint studiosi docuerintque viri docti» a Doctore Wittstock Gryphiswaldensi Latinitate perpulchra atque vere oratoria expositum est, orationem Philippi Melanchthonis «De corrigendis adulescentiae studiis» dominus Kleinert Stendalensis interpretatus est.

Tempus postmeridianum excursionibus dedicatum est, quae infeliciter praeter verba salutatoria interdum Latina Theodisce factae sunt. Domina officialis sedis perlegeticae Rei Publicae Germanicae Democraticae in Italicum vertit, quae magis ad res perlegeticas pertinebant, in aliis difficillioribus scientificisque rebus Prof. Godo Lieberg auxilium desideratum attulit. Ita omnes praeter unam Francogallam explanationes intellegere potuerunt. Vidimus autem die Martis Monasterium Sancti Augustini, ubi Luther monachus fuerat, et centrum Erfordiae pulcherrime renovatum, die Mercurii castellum urbis Arnstadt vetustissimae huius rei publicae et Bibliothecam scientificam optimam Gothanam, die Iovis castellum Molsdorf, ubi burgimagistra superior Erfordiensis nobis receptionem festivam cum merenda opipara praebuit. Die Veneris totus conventus una autoraeda longa Berolinum translatus est. Tribus in urbibus constitimus: Wimariae Bibliothecam Centralem Temporis Classici Germaniae visimus, Halae Saxo-

num Bibliothecam a paedagogo Francke institutam, Wittebergae domum Melanchthonis.

Ultimo die Berolini musea duo inspeximus: illud quod altari Pergami aedificatum est et alterum a Guillelmo de Bode nominatum, ubi in atrio peripetasmatum praesidentibus Professore Irmscher et Doctore Dummer Berolinensibus post nonnullas orationes gratiarumque actiones conventus VII finitus est.

Multum dolui, quod huic conventui solum 33 participes interfuerunt. Venire in animo habuerant 210 homines ex multis partibus mundi, sed plerique aut propter pretium horrendum 1.550 marcarum (occidentalium) aut propter peregrinandi permissio- nis difficultates adesse non potuerunt. Consolatio in eo est, quod ad Scholas Frisingenses 144 Latinitatis amatores amatricesque confluerunt, ubi idem temporis spatium quinque dierum solum 300 marcis constitit. Provideat Academia Romana, ut conventus VIII in regione prosperiore et pretio humano fiat. Insuper providendum est, ut conventus orationes et excursiones Latine fiant, non aliqua lingua vernacula. Latinitatem enim vivam propagare non poterimus nisi ipsi Latine loquimur. Servetur haec singularitas conventuum Academiae Romanae!

Inga PESSARRA-GRIMM



**FUNDATIO MELISSA
LECTORIBUS PROPONIT**

VADE MECUM ad usum hodierni viatoris Latini

Hic libellus primus est seriei, cui titulus generalis erit "Viator Latinus". Quo sub titulo in animo habemus libros divulgare, ubi tractatur de itineribus sive nostrae sive superioris aetatis. Hodierni homines lustrationibus valde delectantur sed pauci adhuc regiones obire solent loquendo Latine. Occasione primi "Itineris Latini", quod Fundatio Melissa hoc anno instituit, putavimus utile esse viatoribus Latinis libellum proponere, ubi usualia verba Latina inveniet quae adhibenda sunt in diversis condicionibus. Putavimus etiam non inutile esse harum usualium locutionum translationem in quinque sermones hodiernos Europaeos subiungere, qui sunt Anglicus, Francogallicus, Hispanicus, Italicus, Theodiscus. Sic coniunctis delectatione utilitateque, speramus fore ut hic libellus mereat titulum, quem ei imposuimus: "Vade mecum"!

Pretium: 200 FB.

LECTORES AD NOS SCRIBUNT...

Andreas FLOUR Foundationi Melissae p.s.d.

Ex quo, abhinc duobus vel tribus annis, adiuvante forsitan providentia, periodicum et Foundationem «Melissam» exsistere cognovi, crescente cum admiratione laborem improbum, fulgentem eruditionem, omnium collaborantium inexstinguibilem ardorem ad latinitatem vivam propagandam, magis magisque aestimo.

Eo magis demiror et doleo Foundationem erga praesentem institutionis Belgicae proelium novorum et veterum («la querelle des anciens et des modernes») nullum studium monstrare et levi momento existimare.

Quid fit, Melissa, ut tibi exitus illius belli, i.e. futurum latinitatis, non solum, timeo, in Belgica, sed fortasse in tota Europa, sine pondere esse videatur?

Nonne scis in Belgica, imprimis in Flandria, institutionis nostrae traditae beneficio, plus quam ubivis polyglottas inveniri?

Anno 1987 plus quam quingenti participaverunt certamen linguarum, 106 digni fuerunt superio-

ris selectionis et finaliter 25 contenderunt coronam.

Etsi maxima cum laude decem linguas defendebam et adhuc alias quinque cum laude, solum in undecimum locum perveni. Primus inter nos... 23 linguas defendebat!!

Ubi, pro rata parte, tot polyglottas invenies?

Atqui: OMNES 25 HUMANITATES GRAECO-LATINAS STUDUERANT!

Nonne in prooemio lexicæ Foundationis lego: «...ut novum ver Latinitatis... felicissime induceretur».

Nonne in «Cur adhuc discenda sit lingua Latina» lego: «Parce qu'une fois de plus l'Europe a besoin de lui (le latin) pour réussir son unité, pour retrouver son âme» (sive Latine: "Quia iterum iterumque Europa lingua cultuque Latino eget ad unitatem perficiendam, ad animam suam recuperandam").

Ubi vox Foundationis in rumore proelii nostri? Mors latinitatis in scholis nonne mortem latinitatis vivae secum trahere videtur?

Cura ut valeas.

Dabam Rollario (Roeselare in Belgio) a.d. 14 Kal. Nov. 1989.



ANDREAE FLOUR, benevolo lectori, Melissa respondet:

Summo gaudio nobis semper est epistulas accipere a lectoribus missas. Gratulationes non sunt ingratae sed etiam plus iuvant animadversiones monitionesque.

Gratias ergo Domino Andreae Flour Rollariensi qui in epistula sua queritur quod Melissa nullum studium monstrat in linguarum classicarum institutione tradita defendenda.

Huic respondeo me pro certo habere institutionis traditae efficacitatem multo maiorem esse quam renovatae, quae dicitur. Non fortasse dicam propter ipsam methodum, sed quia haec «renovatio» praesertim consistit in annis et horis ad studium Latinum Graecumque tributis minuendis; praeterea non solum linguarum classicarum notitia iam non exigitur ad studiorum universitatem intrandam, sed programma scholare excogitatum est ut discipulis quam maxime dissuaderetur «optionem Latinam» eligere vel usque ad finem pergere.

Cum in parte Nederlandophona Belgii Administer Institutionis Publicae statuit omnibus scholis «programma renovatum» imponere, in numero 26 Melis-

sae hoc scriptum Latinum exhibuimus, quod in nonnullis Flandriae actis diurnis divulgatum est et quod unus e Foundationis Melissae sodalibus, petente parentum associatae, conscripsit ad pugnandum contra Administri edictum.

Scopus tamen Foundationis Melissae non est pro «tradita methodo» decertare; nam fatendum est hanc methodum etiam nullo modo Latinitatem vivam curare.

Scopus Foundationis Melissae est efficere ut homines recordentur quantam partem lingua Latina per tot saecula in rebus Europaeis obtinuerit, quibus de causis recentioribus temporibus paulatim obsoleverit, necnon quanto emolumento aequalibus nostris esse possit in longo difficilique opere regionum Europaeorum unendarum.

Linguam Latinam docentes Fundatio Melissa monere vult omnino necessarium esse ut linguam quam docent ipsi primi exercent atque adhibeant. Pro certo habemus linguam Latinam iterum docendam esse ut veram linguam. Iam non sufficit institutionem Latinam esse mentis exercitationem; oportet ad usum, ad communicationem inter gentes ducat. Hac in re docentes ceteris exemplo esse possunt; haec est, nostro sensu, condicio necessaria ut vivere pergat Latinitas.

Gaius LICOPPE



DE PARTIBUS COMMUNISTARUM OCCIDENTIS

E Marxismo-Leninismo quasi e fonte permultae cum evaserint partes, recenter de partibus Orientis egimus, nunc de partibus Occidentis agendum est.

Primum in mundo hodierno Occidentali duas esse alas communistarum inter omnes constat, orthodoxos dico et illos qui «Eurocommunistae» appellantur, quod vocabulum anno 1975 inventum est. De orthodoxis vero nihil narramus, quia cum de illis agimus, verba repetere cogimur illa, quibus doctrinam Marxismi-Leninismi explicaveramus. Sunt autem orthodoxae partes communistarum in Occidente haec: Austriae, Germaniae Foederatae, Lusitaniae, Islandiae, Finniae; est una, quae cum olim in verba Eurocommunistarum iuravisset, tamen nunc sequi orthodoxiae viam videtur, Galliae dico; sunt aliae, quae sese reformari cupiunt, in quibus Italiae Hispaniae aliarum nationum partes numero; sunt etiam nationes, in quibus duae vel tres communistarum partes existunt (orthodoxae, Eurocommunistae, Maoistae), Japoniam dico Graeciam Hispaniam. Nunc vero solis de Eurocommunistis agimus et demonstrari conamur, quibus rebus isti differant ab orthodoxis.

Lenin proletariorum internationalismum postulaverat, quo principio communistas a se sive a suis successoribus dirigi voluerat. At erant communistae in Occidente, qui hanc doctrinam ne sequerentur recusavissent et viam ad socialismum fieri nationalem docuissent, e quibus celeberrimus Antonius Gramsci (1891-1937) Italus esse videtur, cuius doctrinas brevi exponamus necesse est.

Antonius Gramsci quamquam cum nonnullis amicis partem communistarum Italiae fundaverat, tamen revisionismum quem vocant propagabat, qui nihil aliud est nisi renuntiatio vel recusatio doctrinarum Caroli Marx et Vladimiri Lenin. Docebat Antonius Gramsci inter alia principia haec:

1) Dictatura proletariorum negatur atque abnuitor: in Marxismi-Leninismi enim doctrina statuitur post revolutionem proletariorum futuram esse dictaturam, ex qua fiat socialismus; econtra Antonius Gramsci docet sine dictatura proletariorum socialismum fieri posse et debere. Qua nova doctrina efficitur, ut abnuatur necessitas revolutionis: non per revolutionem, sed per electiones communistae rerum potiantur. Per electiones igitur, id est per legitimas democratiae vias, regimen communistarum erigatur optat Gramsci: ne umquam obliti simus Antonium Gramsci - qui et «Lenin Italus» nominatur - ista sua doctrina de legitimitate communistis nanciscenda scribere!

2) Hegemonia Classis Operariorum: in Italia omnes vident esse catholicos et alios, ecclesiam vero catholicam in rebus politicis maximi esse momenti. Quae cum ita sint, Antonius Gramsci statuit electores Italiae operarios aut catholicos esse aut irreligiosos, quare essent, qui catholicorum partem, et alii, qui socialistas vel communistas eligerent. Et Gramsci suos collaborare cum catholicis iussit id agens, ut perderent fiduciam catholici qua a se electos affectissent: qua collaboratione efficeretur necesse esset, ut numerus augetur eorum, qui communistas eligerent, quoniam qui olim catholicos elegissent nunc viderent se decipi, quia catholici ipsi cum communistis non pugnarent, sed collaborarent. Sic minui numerum catholicorum et augeri communistarum electorum sperabat Gramsci - spes vel doctrina, cuius admirari cogimur et subtilitatem verborum et vim consequentiae!

3) Polycentrismi vocabulum a Ludovico Longo inventum indicat viam nationalem qua ad socialismum graditur. Sic abrenuntiant communistae Italiae principio internationalismi proletariorum, sic a ducibus Moscoviensibus se duci non iam sinunt.

Quibus Antonii Gramsci doctrinis imbuti communistae Itali nostris temporibus rebus politicis student. Et quod maximi est momenti: finis totius doctrinae est socialismus, ex quo perficiatur communismus. Finis igitur communistarum numquam mutatur (neque ab Eurocommunistis neque a perestroika de qua recenter egimus), mutatur vero doctrina qua de via ratione methodo tractatur.

Sed et in Hispania communistae divisi sunt. Sunt enim Eurocommunistae qui dolent atque lugent in electionibus permulta se perdidisse vota, et semper semperque minuitur electorum numerus. Quocirca in Hispania inde ab anno 1984 et orthodoxa communistarum pars Ignatio Gallego duce instituta erat, cuius electores paucissimi sunt. Hispaniae vero communistae id egerant, ut quasi democratici sociales haberentur - id quod falsum esse electoribus visum erat.

E revisionismo igitur quin fluxerint multae graves difficultates, dubium nec liberalibus nec conservativis neque communistis ipsis est. Sed revisionismus non solum apud communistas magni habebatur, sed etiam apud democraticos sociales quorum principia etiam in Caroli Marx doctrina sita sunt; de illis proximo agemus articulo.



SIMPLICISSIME

quomodo varia exprimantur

DE TITINI ET MILULI FACINORIBUS

Quis non novit Titinum et Milulum? Quis non legit facinora, quae depinxit Belga c.n. Hergé? Una ex his fabulis in Latinum iam versa est a Doctore Caeleste Eichenseer (*De Insula Nigra*, ELI/Casterman 1987). Ingens fuit successus. Qua de causa nova versio Latina ab eodem praeparatur, quae erit «de sigaris pharaonis».

Georgius Remi (1907-1983) - nam «Hergé» est cognomen e litteris capitaneis R.G. excogitatum - praepositus erat officio subnotationum apud acta diurna q.t. «Le Vingtième Siècle» cum quidam animadvertit eum libenter atque pulchre delineare. Sic actis diurnis adiunctum est supplementum iuvenibus destinatum, cui titulus fuit «Le Petit Vingtième». Delineator noster, cum huic supplemento operam daret, aliquando creavit iuvenem relatores Titinum eiusque canem Milulum. Prima Titini facinora aguntur in Russia, sed haec prima narratio adhuc est satis agrestis. Sequentes fabulae pertinent ad temporis cogitationes: Titinus exempli gratia ad Congum mittitur quia illo tempore valde agebatur de hac colonia Belgica curanda. Titinus postea proficiscitur in Americam atque in Aegyptum, ubi «de sigaris pharaonis» agitur. Harum fabularum narratio, imago regionum atque delineamenta sunt satis simplicia: haec enim omnia auctori nihil erant nisi ludus.

Res funditus mutatur cum Hergé statuit Titinum in Sinam mittere. De Sina autem, ubi numquam fuit, pauca scit. Ergo novus amicus eius Sinensis, Tsangus Tchong-Jen, quocum modo consuetudinem iunxit, eum libenter adjuvat in narratione «de loto caeru-

lea» praeparanda. Hergé multa discit non solum de moribus rebusque politicis, sed etiam de orientali methodo delineandi. Ad gratias agendas nomen Tsangum imponit cuidam personae huius fabulae.

Consilia, quae auctor ab amico suo Tsango accipit, in futurum etiam sunt utilia: nam novae fabulae (inter quas illa «de insula nigra») ostendunt meliorem rerum notitiam, maiorem unitatem, meliora etiam delineamenta.

Secundum bellum mundanum Hergé propter valetudinem infirmam non participat. Cum initio belli acta diurna «Le Vingtième Siècle» finem habeant, novum munus accipit apud acta diurna «Le Soir». Tunc temporis creantur amici Titini qui vocantur «Capitaneus Haddock» et «Professor Tournesol».

Anno 1946 in lucem editur periodicum c.t. Titinus. Sed auctor, cui est indoles solitaria, saepius secedit in quandam abbatiam Helveticam. Multum etiam peregrinatur ad documenta colligenda. Ei necessarii sunt plures pluresque adiutores qui narrationum structuram pro se fingant. Eo ipso momento quo Titini successus fit ingens, auctor languescit; libentius incumbit in philosophiam orientalem et in artem picturae. Novissimam tamen fabulam praeparat, in qua Titinus de arte picturae inquireret, cum die 3 m. Martii anno 1983 vita fungitur.

Georgius Remi nobis reliquit viginti tres iucundissimas fabulas de Titini facinoribus, quae tam adultis quam pueris placent.

Francisca DERAEDT



HERGE, *De Titini et Miluli facinoribus*. *De Insula Nigra*, in Latinum convertit C. EICHENSEER, ELI/Casterman 1987




LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

10 - 17 m. Augusti anno 1990, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant. Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/735 04 08

22 - 28 m. Augusti anno 1990, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebet.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschstrasse, 6
CH-3110 Münsingen
Tel. 031/920823

Nobis gaudio est nuntiare

Fundationem Melissam

DOMUM LATINAM

Bruxellis instruxisse (66 Avenue Albert Elisabeth). In qua sede ab anno 1990 habebuntur sessiones Latinae, acroases, lectiones et aliae actuositates.

Si quis de hac re plura scire cupit, scribat ad Melissam vel telephonet ad numerum (02) 735 04 08.

FERIAE LATINAE

mense Augusto anni 1990 (dies exacti nondum sunt noti), **Nicaeae** habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebet ad mare Mediterraneum. De Feriis Latinis participandis interrogandus est:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

30 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1989 (N.B.: de diebus exactis res nondum est satis certa)

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Gesschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.